

III.

NEOVIDENSIS

Nro 67. (*Neovidensis* Nro 90.)

Tantalus exceptit convivio Deos, quibus ut eorum divinitatem experiretur, Pelopem filium suum coctum apposuit comedendum: Ob hoc nefandum facinus ad inferos detrusus sequens hodie Orbi terrarum pensate legendum proponit colloquium: De Luxu, et ejus consecrariis.

Elysium -- Meum. -- Die Martis 20. Nov. 1804. (Neov. 6. Nov.)

Propositio:

Luxus est dilapidatio, vel usus facultatum & industricæ animo sibi jucundam vitam procurandi.

Definitio realis.

Constitui hodie tractare materiam, quæ ab origine politioris vivendi modi, atque scientiarum omnes Philosophos occupabat. Quæstio: an Luxus sit noxius, vel innoxius, jam dudum Politicorum torquet ingenia. Antequam hac de re meam depromam opinionem, lubet articulum in adamatis Ephemeridibus Moguntinis contentum præmittere. Hæc vero est earum sententia:

Communis animadversio est, quidcunque aliis videatur, hilaritatem animi inter

homines deficere potius, quam augeri, atque curas domesticas, quæ olim ignorabantur, in quavis fere familia esse multiplicatas, ut tranquillitas vitæ diu consistere nequeat.

Multæ quidem hujus rei causæ possunt assignari, præcipua tamen ea videtur esse, quod luxum nimio opere sectemur. Probe mihi constat, quam indeterminato usus sim verbo. In luxum possunt omnia degenerare, & quod apud hunc parsimonia est, apud alterum sapit profusionem. Eapropter non approbo illas perulgatas, & vagas declamationes contra luxum; Novi ejus commoda, quæ eum tantum possunt latere, qui non pervidet, quantæ ille industriæ, atque inventionis sit incitamentum. Nullane autem ejus incommodorum facienda mentio? Omnis studiosa luxus sectatio duo inevitabilia post se trahit mala: Immoderatos sumtus, & tædium domesticorum gaudiorum. Utroque modo quaerimus animi jucunditatem, sed utroque eandem perdimus, & procul a nobis amolimur.

Equidem impensis, quas majores facimus, atque ferat patrimonium, procuramus nobis varias res, quæ ad vitam jucundius transigendam multum conferunt, elegantius vestimur, commodius habitamus, magis oppare comedimus, & bibimus, sensuum illecebris indulgemus, atque ista communica-

mus
ciali
sunt
grav
steru
intel
amio
max
imp
tas
mus
licet
hact
tatio
mur
liar
in r

gau
mu
si r
con
per
ver
mi
tar
fer
a r
æd
uti
Ta
pe

mus cum aliis, & sic perfruimur gaudiis socialibus: Sed si horæ hujus usus redimendæ sunt diebus, mensibus, forte etiam annis gravissimæ sollicitudinis de toleranda impostera vita, nonne caro, & absque omni intelligentia emuntur? Tunc retrahunt se amici, qui e rebus nostris cum admiratione maximas utilitates perceperunt, & accurrunt importuni Creditores repetentes fœnori datas pecunias. Tunc palam fiunt omnes domus necessitates, quas in aliud tempus non licet relegare propterea, quod iis providere hæcenus neglexerimus, ne seria earum cogitatione ex sopore nostro excitemur. Destituimur tandem mediis redintegrandi rem familiarem, non enim auctum est patrimonium in ratione profusorum sumtuum.

Ita etiam, si luxu difluamus, pereunt gaudia domestica. Pulcherrimus naturæ stimulus ad socialitatem conjicitur in periculum, si modum imitemur, quo omnia ad luxum comparata sunt. Volumus, ut, quos expendimus sumtus, ab aliis in nobis observentur, ut inventa luxum promoventia admirationem excitent, opus ergo est se ostentare, & magnificentiam quamdam præ se ferre, opus est multos homines videre, & a multis aliis videri; opus est lectis cœlatis, ædibus omni luxu, & opulentia instructis uti, etiamsi totum pessumeat patrimonium. Talem tot negotiis distentam, & cum impensis conjunctam vitam utique multæ fami-

liæ mediocris conditionis diu tolerare nequeunt; Sed etiam alibi, minimum vir arrogat sibi jus domo excedendi; & alioquin non tantum in magnis, & populosis civitatibus, ubi forte necessitas exigit, sed etiam in minoribus abunde provisum est de publicis domibus, in quibus horas vespertinas, quas prius in sinu suæ familiæ consumsit, transigere possit. Putantur hæc ædificia esse remedia gaudiorum, fons enim domesticorum exaruit, & apta ad recuperandam animi tranquillitatem, nam domi habitat discordia. Hac ratione perit sensim amor erga uxorem, & proles, quo viso multi præferunt matrimonio cœlibem vitam.

Profecto vera gaudia domestica, animus cura solutus, mens sibi bene conscia, qua maritus, & uxor se mutuo confidenter intuentur, quin unus in alterius vultu exprobrationem legat de commissis stultitiis, in comparisonem venire, minus superari a transitoria satietate recepti moris. Ex omnibus humanis societatibus societas cum domesticis deberet esse nobis longe jucundissima. Nequit verbis explicari solatium, quod ad frugalem mensam, tempore diei familiæ festæ sed non splendidæ, inter naturalia levis pretii gaudia sentitur, quamdiu ex vero dici potest: Quidquid consumo, meum est, ære alieno non gravor. Nemo de societate cogitat me possidere bona, quorum pretium non deposuissem. Nulla uxor aegre fer

hanc vivendi rationem, Nulla, proles poterit unquam suspirare, cur dilapidarunt tantum Parentes mei, suntque mei obliti?

O amici simplicium gaudiorum faciamus fœdus, ut hæc mens de gaudiis domesticis in nobis æternum duret! Non est hic sermo de parsimonia tantum, de moderatione, de incremento patrimonii, sed de nostra felicitate, & virtute. De illa certe semper conclamatum est, quotiescunque inconsiderate luxui litamus, de hac autem sæpissime. Merito inter portenta numeratur, si vir fortunarum suarum naufragium passus incorruptam referat virtutem. Plerumque enim is, quem nimia novi moris cupiditas ad incitatas redegit, judicat sibi licitum esse arripere quælibet media, quibus amissas recuperet facultates, unde non raro fit, ut, qui vitam cœpit luxuriose, eandem finiat facinorose.

Redite ergo vos adhuc meliores, & incorrupti mortales ad antiquam morum simplicitatem. Revertimini ad gaudia Patrisfamilias, & Mariti! Nam nulla alia durabiliora sunt gaudia, quam quæ simplicitas, & natura, amor, & amicitia, paternus, & maternus affectus, cura familiæ, & pax domestica conciliant. Ipsa amaritudo, quæ hic subinde occurrit, longe suavior est solatiis, quæ extra familiam quærentur, raro enim explent animum, & sere semper co-

mites habent ægrimoniam, ac animi pœnitudinem.

Hucusque amatum folium. Verum luxus tam varias admittit significationes, ut non possit facile uno obtutu pervideri. Jam prodest, jam nocet felicitati nationum, prout nimirum magis, vel minus consumit proprii territorii, atque industriæ producta, vel prout alienam acuit diligentiam. In hoc sensu idem præstat nationi, quod privato homini. Usus rerum luxui inservientium, & modus iis utendi æquam habeant proportionem, est necesse.

De Romanis, aliisque magnis imperiis memoriæ proditum est, eadem per luxum esse col'apsas primum diffluxisse mores, deinde virtutem conversam esse in mollitiem. Sub Imperatoribus religiosis Italia fuit hortus instar Paradisi. In toto regno nil erat videre aliud, quam splendida palatia, latas, & elegantes vias publicas, Vivaria, Aquæductus, Amphitheatra, Deambulacra, Balnea, & Pomaria. Agriculturæ fiebat tantum specimen quasi in areolis florum. Totus tunc notus orbis ferebat suos terræ fructus victoribus. Lucullus, ut inter trecenta fercula, quæ suis convivis apposuit, haberet piscem, numeravit pro eo 2000 florenos. Iste erat veri nominis luxus.

Postquam devictis Romanis Europa in plures minores Provincias divisa fuisset, luxus nonnisi apud possessores feudorum, bonorumque immobilium viguit, qui in suis arcibus, & Regum palatiis habitabant. Classi civium vetitum erat aliter se vestire, quam statui suo convenienter. At commercium, ejusque propagatio novos aperuit divitiarum fontes. Negotiatores, praesertim sic dicti Mercatores Romani Imperii opibus, & luxu superarunt nobiles, Principes & ipsos Reges, petebant Regnum Daniae publicae licitationi exponendum. Tandem invisus quaestus in parvas, & magnas Respublicas demigravit, ubi inducta est parsimonia, & temperantia, sicque sensim auctae opes, quae per bella, & invasiones iterum ad alios devenerunt.

Interim quemadmodum populus magni fecit divitias apud Principes, ita eas etiam in sibi similibus suspexit. Privatus homo, at locupies imitabatur luxum potentiorum ita, ut omnes ejus species in gestibus, vestitu, & ad mensam expresserit. Quapropter ubi prius unum tantum cubile calefiebat, modo in sex, septem, & pluribus ligna comburuntur, ubi prius una vestis festiva suffecit, quae nonnunquam ad filios, & nepotes haereditate translata est, modo vestimentorum secundum recentissimum morem factorum plena haerent armaria; ubi prius duo cibi saturitatem attulerunt, nunc viginti & vigintiquatuor fercula adponuntur. Ita incrementa cepit luxus in omnibus

sux prodigalitatibus partibus, & formis. Hinc est, quod pretium ligni indies augeatur, hinc proveniant lamenta, semen terræ mandatum non provenisse; Hinc tam magni sumtus in vestes inducto mori accomodas; Omnes enim hæ species modo & frequentius, & copiosius exhauriuntur, quæ olim nonnisi in palatia potentiorum penetrare audebant. Quamdiu luxuriam cum agricultura, & nationali industria ad amissim consentiet, tamdiu multum commodi adferet nationi cuilibet. Quamprimum autem hos limites excesserit, ut ab aliis populis advocandus sit; gravia importabit detrimenta.

P u b l i c a n d u m.

Quoad Civicum Strigon. Diversorium exarendandum.

Diversorium, Civitatis Strigoniensis ad Nigram aquilam in medio Foro existens, una sala pro saltu destinata, 10 cubiculis, 2 magnis stabulis, pavimento pro stramine, foeno, & avena recondenda adaptato 1. magno domestico horto, agris, et pratis, non secus lignis focalibus e Civitatis sylvis pro ratione duarum sessionum competentibus, Jure proprio Epocillatoris vine educillandi, futuri mensis Decemb. die 2. i. e. Dominica prima Adventus a. c, cum omnibus supranominatis requisitis, Licitatione mediante ad sexennium veniet exarendandum quæ arenda nihilominus 24 Aprilis futuri antium suum sumet.